





U. UBALDI
—
INTRODUCTIO
IN SACRAM
SCRIPTURAM



3

BS587
U2
v.3

1



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080014734

INTRODUCTIO
IN
SACRAM SCRIPTURAM

AD USUM SCHOLARUM
PONT. SEMINARII ROMANI
ET
COLLEGII URBANI DE PROPAGANDA FIDE

AUCTORE
UBALDO UBALDI

BASILICAE COLL. S. MARIAE AD MM. CANONICO

« Sensus autem tuum (Domine) quis
sciet, nisi tu dederis sapientiam, et
miseris Spiritum Sanctum tuum de
altissimis? » (Sap. IX, 17).
« Sint castae deliciae mensae Scripturae
tuae; nec fallar in eis, nec fallam ex
eis. » (Aug. Confess. XI, 2).

EDITIO ALTERA

VOL. III.

INTRODUCTIO EXEGETICA, SEU HERMENEUTICA BIBLICA
CUM DUPLICI APPENDICE

ACCEDIT

ADUMBRATIO ARCHAEOLOGIAE BIBLICAE

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCLXXXIV

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Urzúa y Teller



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

44587

V. 220.12

H.

B5587

U2

V.3

Auctor sibi vindicat ius proprietatis.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

1881

Iussu Rm̄i P. Vincentii Maria Gatti M. S. P. A. legi tertium volumen operis cui titulus: *Introductio in S. Scripturam auctore Ubaldo Ubaldi*. In eo non solum nihil contra fidem et bonos mores reperire est, sed ipsum sic accedere ad perfectionem totius operis arbitror, ut nihil sit sanae doctrinae et solidae eruditionis biblicae, quod in eodem opere aut fusa aut summatim miro ordine digestum non inveniatur.

In quorum fidem etc.

Die 19 Iulii 1881.

VINCENTIUS TUZI
Censor Theologus

REIMPRIMATUR
Fr. Augustinus Bansa O. P. S. P. A. Magister.

REIMPRIMATUR
Iulius Lenti Archiep. Siden. Viceg.

007387

INTRODUCTIO EXEGETICA

SACRAM SCRIPTURAM

SEU

HERMENEUTICA BIBLICA

PROLEGOMENA

Quae in duobus praecedentibus voluminibus tradita sunt ad auctoritatem seu valorem Sacrae Scripturae sive humanum, sive divinum et canonicum vindicandum pertinent, quae ideo *Criticam Introductionem* appellavimus. Verum, ut huius operis initio animadvertimus, ad Biblicam Introductionem praeterea spectat rationem indicare, qua eadem S. Scriptura explicanda et exponenda sit. Cum enim de iis documentis agatur, quae ad universae Ecclesiae, omniumque nostrum *doctrinam scripta sunt*, et quorum intelligentia multis difficultatibus impeditur, parum prodesset eorum auctoritatem perspectam habere nisi etiam nobis praesto esset via, qua ad eorum sensum percipiendum tuto pervenire possimus, et quaedam veluti clavis, quae sacra eorum penetralia nobis aperiat. De hac altera Introductionis parte nunc nobis agendum est, quam *Introductionem Exegeticam* in S. Scripturam appellavimus, vel, ut passim vocari solet, *Hermeneuticam biblicam*. Sed quaedam in antecessum animadvertenda sunt de huius disciplinae accurata definitione, deque eius utilitate, necessitate, historia, nec non de rerum tractandarum divisione, ac de ordine, quem nobis sequendum proposuimus.

I. Hermeneuticae Biblicae definitio, et obiectum.

Hermeneutica, si vis vocis spectetur, *artem interpretandi* significat. Est enim Graeca vox Ἑρμηνευτική (subaudi τέχνη, vel ἱκανότητα (1) quae a verbo ἑρμηνεύω ducta est, quod significat *interpretari, explicare* imprimis dicta vel scripta alterius (2). Hic movent nonnulli auctores Hermeneuticam distinguendam esse ab Exegetica, quod illa sit ars interpretandi, haec vero sit ipsa interpretatio. Sed hi confundere videntur *Exegeticam* cum *Exegesi*. Exegetica, Ἐξηγητική (scil. τέχνη), a Graeco verbo ἐξηγεῖσθαι, quod est *exponere* vel *interpretari* derivatur, ideoque artem exponendi vel interpretandi significat, et, nisi velimus supervacaneae indulgere subtilitati, ab Hermeneutica non differt: *Exegesis* vero (ἐξήγησις) in eo differt ab Exegetica et ab Hermeneutica, quod haec, ut diximus, sit ars interpretandi, illa vero, seu exegesis, sit ipsa interpretatio: differunt ergo inter se sicut theoria a praxi, vel ut praecceptum, seu regula, ab eius usu. Haec quidem de vocis etymologia et significatione. Si vero accuratiorem definitionem quaesieris Hermeneutica universim accepta definiri potest: « *Disciplina, quae certis criteriis ac regulis mentem dirigit in sensu librorum inveniendi, atque aliis exponendo* ». Diximus *disciplina* potiusquam *ars*, vel *scientia*; hermeneutica enim partim ad artes referenda est, quod scilicet praeccepta tradat practica, ex experientia ac sapientum traditione collecta, partim vero de scientia participat quatenus summa interpretationis principia investigat, aptisque rationibus demonstrat. Diximus praeterea hermeneuticam certis *principiis ac re-*

(1) Quomodo voces *Grammatica, Rhetorica, Pragmatica*, adiectiva graeca sunt; quae tamen substantive accipiuntur pro disciplina, vel arte de his rebus tractante.

(2) Verbum hoc rursus connectitur cum voce Ἑρμης; quo nomine Graeci vocabant Mercurium; cum enim hic a Paganis haberetur ut nuncius et interpres Iovis, ab eo derivatum videtur verbum ἑρμηνεύω, cum significatione interpretandi. Hinc etiam Act. XIV narratur Lystrenses Paulum et Barnabam Deos esse existimantes, hunc quidem Iovem, illum vero Mercurium (Ἑρμην) vocasse « *quoniam ipse erat dux verbi* » (ib. v. 11), idest, quia praecipuus in praedicando partes agebat, et tum suam tum Barnabae mentem eloquenter exponebat.

gulis mentem dirigere, quo significare volumus hermeneuticam generatim sumptam quodammodo insitam esse humanae menti, quemadmodum Logicam, et Ethicam, et tamen naturalia veluti semina per disciplinam hanc excolenda sunt ita ut ipsa mens dirigatur et adiuvetur in eo praestando, et plenius, ac tutius assequendo, ad quod nativam aptitudinem et propensionem habet. Denique diximus: *in sensu librorum inveniendi atque aliis exponendo*, hoc enim proprie est *interpretari*, et ad hoc praeccepta omnia hermeneutica collimare debent.

Potest autem Hermeneutica esse vel *generalis*, vel *specialis*; illa est quae ad libros quoscumque interpretandos regulas tradit, haec autem quae alicuius libri, vel specialis librorum classis interpretationem spectat: quae rursus multiplex esse potest cum multiplex sit librorum species, et magna varietas. Non solet tamen nisi duplex specialis hermeneutica a viris doctis tractari, *Legalis* scilicet, et *Biblica*. Hermeneutica legalis ea est quae docet interpretationem legum, et librorum legalium, de qua nonnulla traduntur cum in iure Canonico tum in iure Civili (1). *Hermeneutica Biblica* autem, de qua nobis agendum est, docet rationem interpretandi Sacra Biblia, seu Libros S. Scripturae. Potest autem haec definiri « *Disciplina, quae certa criteria ac regulas tradit ad sensum Sacrarum Scripturarum inveniendum, atque aliis rite exponendum* ». Huius igitur disciplinae *materiale*, uti aiunt, *obiectum* est S. Scriptura, seu sacri et canonici utriusque Testamenti Libri, *obiectum formale* est ipsa criteria ac regulas interpretationis tradere, quorum finis est, ut diximus, mentem sacrorum scriptorum intelligere, ac declarare. Sunt qui vellent ipsam *Hermeneuticam biblicam* rursus dividere in *generalem*, et *specialem*, ita ut generalis sit quae generalia principia tradit ad universam Scripturam interpretandam, specialis vero quae normas exhibet interpretationis pro uno alterove libro S. Scripturae, vel pro una alterave librorum classe ex. gr. pro libris Prophetis, pro quatuor Evangelis, pro epistolis Paulinis. Nobis haec divisio superflua omnino videtur praesertim in elementari Hermeneutica tractatione: siqui-

(1) Extat praeterea pro iure civili Romano opus ipso Hermeneuticae titulo inscriptum auctore Echaro, scilicet: *Hermeneutica Iuris civilis*. Pisis 1770.

dem in ipsa generalium regularum expositione commode potest notari quicquid speciatim observandum est in quorundam librorum interpretatione.

II. Hermeneuticae Biblicae utilitas ac necessitas.

Quantum sit Hermeneuticae Biblicae momentum, et quanta necessitas ex eo patet, quod si omnes libri valde antiqui ob adnexam difficultatem, et obscuritatem subsidiis quibusdam ac regulis indigent ut recte intelligantur, id multo magis verum est de Libris Sacrae Scripturae, qui pluribus ex causis obscuriores et difficiliore ceteris antiquis scriptis esse deprehenduntur. Sane sive consideremus *formam*, sive *materiam* Sacrarum Scripturarum difficiles et obscurae apparebunt. Et 1° quidem inspecta earum *forma*, sub quo nomine cum *lingua* tum *stylum* et compositionem comprehendimus. *Lingua* enim *hebraica*, qua maxima pars Sacrorum Librorum V. T. conscripta est iam pluribus ante Christum saeculis demortua erat, eaque ab indole nostrarum linguarum prorsus aliena est. Libri autem N. T., quamvis Graecae exarati, magnam tamen cum Hebraea vel Chaldea lingua retinent affinitatem. Nec versiones quantumvis probatae, ut imprimis est Vulgata Latina, hanc difficultatem ex lingua ortam penitus remouent, siquidem quo magis fideles et authenticae sunt eo magis syntaxim et idiotismos linguae originariae servant; quapropter saepissime obscuritas non minor est in versione, quam in textu. Denique *stylus* est passim involutus, et obscurus, saepe familiaris et abruptus, alias sublimissimus et poeticus, et in diversis Libris admodum varius; quae omnia non possunt non augere difficultatem interpretationis. 2° Si vero consideremus *materiam*, seu argumentum sacrorum Librorum, maiores exurgunt difficultates, quae quidem diversae sunt pro diversitate argumenti. Sane a) *Historia*, quae magnam Scripturae partem occupat, eo difficilior est quo est antiquior plerumque omnibus historiis certis alicuius gentium (1) a quibus

(1) Herodotus Graecae historiae pater quinque tantum saeculis aeram vulgarem antecedit: ad eandem epocham pertinet Confucius a quo repetendi sunt sacri Sinesium libri: adhuc recentiores sunt Indorum Vedae, et Persarum Zend-Avesta, nec non reliqui historici Graecorum et Romanorum Polybius, Diodorus, Thucydides, Livius, etc. Libri vero historici V. T. saeculo XV ante

proinde nullam, aut valde exiguam lucem mutuare fas est ad biblica facta illustranda; ac praeterea ex eo tempore quo biblici eventus pertinent, in Palaestina omnia susdeque versa sunt, et societatis status, ipsa regionis topographia, tota demum rerum facies immutata est.

b) *Dogmaticae* Scripturae partes suas habent difficultates, easque gravissimas, tum quia plura doctrinae capita rationis humanae vires excedunt, tum quod nullo ordine logico, aut systemate, sed sparsim et pro data occasione doctrinae exponuntur, quaedam proprio sensu, quaedam sub metaphorico vel symbolico involuero, alicubi leges generales, alibi earundem exceptiones vel limitationes exponuntur, unde passim difficultas oritur in variis locis vel coordinandis, vel inter se componendis: quod quidem cum de theoreticis dogmatibus, tum potissimum de morum doctrina valet. c) Demum *Prophetica* loca maxime difficilia sunt sive hoc ipso quod de rebus futuris tractant, sive etiam quia prophetae consuetas loquendi leges et ordinem idearum accurate non servant. 3° Hisce duabus causis intrinsecis merito addi potest tertia extrinseca ex adversariorum praepostera agendi ratione petita: Rationalistae enim, alique hostes verae religionis, nostra praesertim aetate, tot pravas S. Scripturae interpretationes in medium protulerunt, ipsaque interpretandi principia tot subtilitatibus, totque perversis systematibus permiscere ac pervertere conati sunt, ut maior exinde necessitas orta fuerit Catholico interpreti ac Theologo saniores interpretationis Biblicae regulas cognoscendi, et vindicandi.

III. Hermeneuticae Biblicae brevis historia.

Interpretationi Scripturarum accidit quod in aliis quoque disciplinis factam novimus, ut scilicet homines ipsi rei operam darent antequam eius tractandae praeccepta, et regulas collegissent, ac tradidissent: sicut igitur homines loquebantur et scribebant antequam ars grammatica exulta esset, et poetae floruerunt ante artem poeticam, et philosophicae rerum considerationes philosophorum Scholae praecesserunt, ita quoque veteres sive Iudaei sive Christiani inde

aeram vulgarem scribi coeperunt, et iam fore omnes extabant, immo et vestigiis erant antequam Herodotus apud Graecos floreret.

ab initio Sacras Scripturas meditabantur, aliisque exponebant priusquam de methodo quadam concinnanda et de regulis interpretationis tradendis cogitarent. Postea vero, ampliori studio adhibito vel fideles docendi vel haereticos refellendi causa, coeperunt ex proprio ingenio, et ex maiorum exemplo ac scriptis quaedam animadvertere, quae ad rectam Scripturarum intelligentiam conducirerent, quae deinceps paullatim in unum collecta, aucta ac perfecta tandem formam scientificam induerunt, atque ita hermeneutica Biblica a ceteris sacris disciplinis distincta efformata est. Operae pretium erit de hoc progressu hermeneuticæ breviter disserere, eamque considerare primum apud Hebraeos, tum vero apud Christianos, sive orthodoxos, sive eterodoxos, usque ad nostram aetatem.

A. Historia interpretationis Biblicae apud Hebraeos.

Cum sciamus Libros Moysi et subinde alios V. T. Sacerdotibus et Levitis custodiendos, ac populo legendos traditos fuisse (Deut. XVII, 18, XXX, 9-13, 24-26), quibus etiam commissum erat officium eosdem Libros exponendi et consultationibus fidelium respondendi (Deut. XVII, 8-12, XXI, 5), dubitandum non est rectam Sacrorum Librorum interpretationem usque ab initio apud eos extitisse. Qua vero methodo vel qua arte Scripturam exponerent definiri nequit cum nulla de hac re extet memoria. Ex pluribus tamen indicis colligi potest eorum interpretationem non tam eruditam fuisse quam practicam, et de rebus ad fidem, moresque pertinentibus, eamque non tam arri vel scientiae cuidam innixam, quam constanti traditioni, vel supernae illustrationi Sacerdotibus et Summo Pontifici pro opportunitate concessae, aut etiam externo Prophetarum testimonio. Haec quidem de antiquissima aetate quae praecessit captivitatem Babilonicam. De aetate vero quae captivitatem subsequuta est paullo plura innotuerunt. Non solum enim scimus Libros Moysi et Prophetarum singulis sabbatis in omnibus Iudaeorum Synagogis perlectos fuisse (Act. XV, 21, XIII, 27, Luc. IV, 16 seqq.) sed etiam declaratos. Imprimis enim hoc suadebat ipsa mutatio linguae, quae in populo facta fuerat; quare post lectionem Hebraici textus, quem non omnes commode intelligebant, subiungenda erat quaedam explicatio linguae vernacula. Huius consuetudinis vestigium occurrit in libro Nehemiae seu 2 Esdrae (VIII 8, 9, 12), nec non in magna illa copia paraphraseon chaldaicarum, quae Targumin

appellantur, ut alias animadvertimus. Praeterea studium interpretandi Scripturam, et quidem subtiliter et docte, testatur etiam multitudo illa doctorum qui sub nomine *Scribarum, Legisperitorum, Doctorum Legis, γραμματεῖς, νομικοί, νομοδιδασκαλοί* saepissime commemorantur in posterioribus Scripturae Libris puta 1 Esdr. VII, 6, 12, 2 Esdr. VIII, 1, 2 Machab. VI, 18, et in Evangelis passim. Attamen cum scientiae Biblicae incremento vitia quoque et abusus irrepserunt in interpretatione Scripturae saltem circa Christi tempora. Alii enim allegoriis et accommodationibus plus aequo indulgebant, ut videre est in Philone hebraeo, et in Cabbalisticis; alii ex adverso nimis cortici verborum et propriae verborum significationi adhaerebant, ita ut, quae de Christo venturo Prophetae praedixerant sub symbolorum et imaginum umbra, secundum materialem vocabulorum significationem accipientes falsam omnino Messiae notionem sibi efformarent, quae deinde maximo impedimento fuit ne Christum Iesum agnoscerent; alii denique, imprimis Phariseae, moralia Legis praecepta falsis et contortis interpretationibus depravabant, suasque traditiones et superstitiones iisdem admiscebant, quod Christus Dominus in eis severe reprehendit (Mar. VII, 9-13).

Post Christi vero aetatem Iudaeorum magistri studium interpretationis S. Scripturae non neglexerunt, quamvis diversam methodum sectati fuerint. *Talmudistae*, et auctores *Medrasim* seu *Rabboth* allegoricas et accommodatas interpretationes adamant, *Cabbalistae* reconditos et incompertos sensus saepe ineptos, et plerumque solido fundamento destitutos expiscantur. Ii vero qui proprie commentarios in sacros Libros scripserunt a saeculo XI usque ad XVI aerae vulgaris meliores interpretes sunt, quamvis et ipsi non raro aberrant a vero Scripturae sensu, et in vaticiniis ad Christum Dominum pertinentibus misere coequant: adhuc enim *velamen positum est super cor eorum* (2 Cor. III). Sed de his plura suo loco (1). Ceterum apud Iudaeos nemo artem hermeneuticam ex professo, uti aiunt, exponere aggressus est. Occurrunt tantum nonnullae animadversiones et monita de modo explicandi S. Scripturam apud

(1) Sub finem Hermeneuticæ breviter disseremus de praecipuis interpretibus Iudaeorum, eorumque conscriptis commentariis, deinde vero de Christianis interpretibus s. Scripturae. Hic vero tantum in genere et per summa capita historiam Biblicae interpretationis persequimur.

Maimonidem in op. *Moro Nevuchim* part. I. et apud Aben Ezra in *Praefatione* ad suum comment. in Pentateuchum, ubi quinque diversas methodos exponit in variis scholis Hebraeorum adhiberi solitas, de quibus iudicium profert, et, ceteris reiectis, ultimam probat, qua nempe sensus literalis singulorum locorum Scripturae ex accurata verborum interpretatione et contextu exponitur, non excluso tamen sensu spirituali, morali, et mystico in iis locis, ubi eius existentia ex solida aliqua ratione comprobari potest.

B. Historia Hermeneuticae Biblicae apud Christianos.

Dicemus de historia et progressu Hermeneuticae primo in antiqua Ecclesia; secundo in medio aevo; tertio in aevo recentiore.

I Primi inter veteres Ecclesiae Patres, quos Apostolicos vocant, commentarios in S. Scripturam non scripserunt, sed tantum pro data occasione testimonia ex ea protulerunt eorum sensum exponentes quemadmodum ab Apostolorum praedicatione acceperant, vel iuxta obviam verborum significationem, et practicum virtutis et pietatis sensum, praetermissa quacumque docta et erudita locorum interpretatione. Idem dicendum est de Apologistis saeculi II, quorum scopus erat non Scripturam exponere, sed veritatem Christianae religionis adversus Paganos tueri. Fuerunt quidem eodem saeculo II, qui libros Scripturae interpretati sunt, ut scimus Iustinum, Irenaeum, Pantaenum, Clementem Alex. (in *hypotyposibus*) fecisse, sed horum opera exegetica, paucis fragmentis exceptis, deperdita sunt. A saeculo autem III usque ad VIII plures clarissimi interpretes flourerunt, ut Origenes, Basilium, Iohannes Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus, alique omnibus noti, quorum opera breviter recensere in Parte III. Solent hi generatim in varias scholas distribui pro diversa interpretandi methodo quam sectati sunt. Origenes allegoricae interpretationi summopere indulsit, eandemque plus minus methodum tenuerunt qui in Ecclesia Alexandrina flourerunt, aut etiam alibi degentes Alexandrinorum methodo delectati sunt, quare hi dicuntur pertinere ad *Scholam Alexandrinam*. Alii vero *Scholae Antiochena*e addicti fuerunt cui solemne erat literali verborum sensui pressius insistere, seposito nimio allegorizandi studio: huius methodi insigne monumentum sunt opera exegetica S. Iohannis Chrysostomi, imprimis eius expositio Epistolarum S. Pauli. Suas etiam Scholas easque florentissimas habuerunt

Athenae, Constantinopolis, Edessa in Syria, Caesarea in Palaestina, ex quibus illustres S. Scripturae interpretes prodierunt. Sed de his alias. Hic enim potius agendum nobis est de Hermeneuticae initiis et incrementis, quatenus est ars seu disciplina quae praeepta et regulas interpretationis biblicae tradit. Itaque nonnulli scriptores huius antiquissimae aetatis multa tradiderunt ad rectam viam apertendam Sacris Libris intelligendis, et exponendis. Ex his praecipuos nominavimus in Prolegomenis generalibus nostrae huius Introductionis. S. Hieronymus plura de hac re sapienter tradit in Epistola ad Pammachium, et sparsim in commentariis, S. Iohannes Chrys. quaedam opportune monuit in Homilia in Ierem. X, 33, et in Homil. XV in Iohannem; Tychonius quidam Donatista septem regulas proposuit ad investigandam intelligentiam Scripturarum, quas S. Augustinus expendit in Libro III. De Doctr. Christ. Extant quoque de hoc argumento Adriani: *Εισαγωγή εις τας θειας γραφας*, Cassiodori: *Institutiones divinarum literarum* (1), et Iulii Africani: *De partibus divinae Legis libri duo*; in quibus nonnulla habentur collecta ad Hermeneuticam spectantia, haud tamen omnia, vel pleraque, nec ordine scientifico proposita. Paulo plenior est expositio regularum et subsidiorum interpretationis in opere paulo ante citato S. Augustini: *De Doctrina Christiana libri IV*: ubi tamen multa quoque desunt, plura etiam redundant, quae scilicet ad Hermeneuticam non pertinent, sed ad Criticam vel Dogmaticam.

II. Aevo medio nullum nostra disciplina incrementum accepit, sed in eo mansit vestigio, in quo fuerat praecedente aetate. Quamvis enim non defuerint sacri interpretes, iique optimi, ut S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura, Nicolaus Lyranus, Paulus Burgensis, ii tamen, ex proprio ingenio, et iuxta praecedentium Patrum

(1) In praefatione huius operis Cassiodorus conqueritur quod apud Latinos nondum fundatae essent publicae cathedrae sacrarum literarum, ubi scilicet ars Scripturas interpretandi traderetur, quemadmodum iam diu factum fuisse affirmat tum Alexandriae in Aegypto, tum Nisibi in Syria. De hac schola Nisibana mentionem facit etiam Iulianus Africanus in epistola ad Primasium praefixa duobus libris *De Partibus Divinae Legis*, ubi commemorat Paulum quemdam Persam genere, qui in laudata schola Scripturarum scientiam edoctus fuerat: ubi, inquit, *divina Lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis grammatica et rhetorica, ordine regulariter discitur.*

interpretationes et Ecclesiae sensum Scripturam exponentes, non cogitarunt de Hermeneutica disciplina seorsim excolenda. Dumtaxat nonnulli praemittere solebant suis commentariis *Prolegomena* quaedam, in quibus nonnulla tradebant ex Hieronymo, aliisque Patribus excerpta circa varios Scripturae sensus, et modum interpretandi. Inter cetera notata digna sunt *Prolegomena* Nicolai Lyranii.

III. Saeculo XVI Biblica studia ardentius coli coeperunt, quibus iam stimulus adiecerant, ante ortam Reformationem, Concilii Viennensis decretum de studio linguarum Orientalium in Universitatibus prosequendo, et plurimum Graecorum in Occidentem immigratio post captam Constantinopolim, et Polyglotta Complutensis editio, quae fontium originalium collationem faciliorem reddidit, denique reviviscens ubique ardor omnis literaturae excolendae (1). Hinc mirum non est si hac postrema aetate (saec. XVI-XIX) quamplura opera edita fuerint de Biblica Hermeneutica, et haec disciplina ad maiorem perfectionem adducta fuerit. Siquidem 1^o eliminatae sunt omnes quaestiones et tractationes, quae ad Criticam, Dogmaticam, Iurisprudentiam aliasque scientias pertinebant, quaeque antea solebant hermeneuticae tractationi immisceri, 2^o non aliquae tantum, sed omnes Hermeneuticae partes cum debita diligentia tractatae, et explicatae sunt, 3^o denique universa Hermeneutica ad formam magis scientificam redacta est, singula rerum capita suis locis apte disposita, principia subtiliter investigata, accurate definita et certis argumentis firmata sunt, novorum etiam systematum interpretationis ratio habita, et falsae exegeseos fundamenta concussa, et eversa. Operae pretium erit praecipuos quosdam auctores indicare qui hanc provinciam illustrarunt sive apud Catholicos, sive apud Protestantibus.

1. Opera Hermeneutica Catholicorum a saec. XVI-XIX.

Santis Pagnini: *Isagoge in Sacras literas*, et *Isagoge ad mysticos S. Scripturae sensus*. Lugduni 1536.

Ambrosii Catharini: *Claves duae ad aperiendas, intelligendasque Sacras Scripturas*. Lugduni Batav. 1548.

Guillelmi Lindani: *De optimo Sacras Scripturas interpretandi genere*. Coloniae 1558.

(1) Haec raptim commemorare volumus ut appareat quam immerito quidam auctores Protestantes affirmaverint gloriam restauratae Biblicae scientiae deberi Reformatorebus saeculi XVI.

Sixti Senensis: *Ars interpretandi S. Scripturas absolutissima*. Venetiis 1566, eiusdemque *Bibliotheca Sancta* Lib. III et IV qui de Scripturae expositione, et expositoribus tractant. Ambo haec opera (alterum correctum a Milante Neapoli 1742) in magno pretio habita, et saepius recusa sunt.

Joseph Acosta: *De vera scripturas interpretandi ratione* in Opere *De Christo Revelato*. Romae 1590.

Hofmeisteri: *Canones ad interpretandas Sacras litteras*. Paris 1573.

Petri Ant. Beuter: *Adnotationes decem ad S. Scripturam*. Valentiae 1566.

Hi omnes aliique saeculi XVI Scriptores multa quidem docte et pie de Scripturarum interpretatione docuerunt, longo tamen absunt a plena et perfecta tractatione Hermeneutices Biblicae: multa enim omittunt, quae ad theologicam et eruditam sensus biblici expositionem pertinent, in omnibus vero desiderata apta rerum distributio et scientificus tractationis ordo. Ab his vix differunt auctores saeculi XVII quorum opera praecipua sunt haec:

Martini Antonii Del Rio: *Pharus Sacrae Sapientiae*. Londini 1608.

Henrici Marcelli: *Canones explicandae Scripturae*. Herboli 1633.

Antonii a Matre Dei: *Praeludia Isagogica ad SS. Librorum intelligentiam*. Lugduni 1669 iterum Moguntiae 1670.

Iohannis Neercassel: *Tractatus de lectione Sacrarum Scripturarum*. Emmerici 1677 iterum Coloniae 1680.

Iosephi Metzger: *Institutiones Sac. Scripturae, seu, principia, regulae et instructiones de modo recte intelligendi, et interpretandi S. Scripturam*. Salisburgi 1680.

J. B. Du Hamel: *Institutiones Biblicae*. Parisiis 1695.

Demum in sequenti saeculo XVIII, et imprimis saeculo XIX Hermeneutica Biblica ad suam perfectionem adducta est, collectis et meliori ordine digestis quae ab antecessoribus tradita fuerant, superfluis reseccatis, aliis vero ab illis neglectis diligentius pervestigatis et evolutis. En praecipuos quosdam huius aetatis Catholicos auctores.

Iohannes Martianay: *Traité methodique, ou manière d'expliquer l'Ecriture par le secours de trois syntaxes, la propre, la figurée, l'harmonique*. Parisiis 1703, eiusdemque: *Méthode sacrée pour ap-*

prendre et expliquer l'Ecriture Sainte par l'Ecriture même, ibid. 1716.

I. Joseph Duguet: *Regles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte*. Paris 1746. Opus pium simul ac doctum, in quo tamen mystica Scripturarum intelligentia plus aequo urgeri videtur. Quare eius refutatio scripta est ab altero Gallicano theologo Léonard, qui tamen in extremum oppositum labitur, ut alias videbimus cum de controversia circa mysticos Scripturae sensus ageamus.

Iohannes M. De Turre Ord. Praed. *Institutio ad Verbi Dei scripti intelligentiam*. Parmae 1744.

Iohannes I. Monsperger: *Institutiones Hermeneuticae V. T. Vindobonae 1776 iterum 1781*.

Stephanus Hayd: *Introductio Hermeneutica in Sacros Novi Testamenti Libros*. Vindob. 1777.

Sebastianus Seemüller: *Institutiones ad interpretationem Sacrae Scripturae*. Augustae Vindel. 1779.

Ad. Viser: *Hermeneutica Sacra N. Testamenti*. Budae 1784-5

Georgius Mayer: *Institutio interpretis Sacri*. Vindobonae 1789.

F. Fr. Azemberger: *Brevis conspectus institut. hermen.* Straubing. 1798.

Imprimis vero nostri saeculi XIX auctoribus ultimum complementum ac perfectio Biblicae Hermeneutices debetur. Ex his salis erit praecipuos commemorare.

Iohannes B. Gerhauser: *Theoria Hermeneuticae Sacrae*. Diling. 1811 et germanice, curante Lerchenmüller, Kemp. 1828.

Iohannes Iahn: *Enchiridion Hermeneuticae generalis tabularum Veteris et Novi Foederis*. Viennae 1812; cui postea adiecit: *Fasciculos II Exercit. Exegetic.* Viennae 1813-5.

Auctori neganda non est ingenii, et eruditionis laus, accurata methodus, et subtilis rerum indagatio ac definitio; verum intolerabilis est eius opinandi libertas, et Ecclesiasticae traditionis neglectus; ob quam causam praedictum *Enchiridion* merito a Sede Apostolica damnatum est. Iahnium sequitur

Alman Arigler: *Hermeneutica Biblica generalis*. Viennae 1813 et ipse censura notatus: licet enim eruditione, et tractationis amplitudine, ac ordine ipsum magistri opus superaverit, eius tamen vitia imitatus est, imo et in deteriora lapsus, omnem sensum mysticum

ex Scripturis eliminavit, et clarissima vaticinia de Christo Domino tanquam meras accommodaciones traduxit. I. Iahnii defensionem infelici exitu suscepit I. Tambacher in suis: *Vindiciae Iohannis Iahn*, Lipsiae 1822: Iahnii methodum sequitur etiam Aloysius Sandbichler: *Darstellung der Regeln einer allgemeinen Auslegungskunst von den Büchern des A. u. N. B. nach Iahn*, Salzburg 1813; sed illius errores utcumque vitare nititur. Melius vero id praestitit Iohannes Nepom. Alber in suo opere: *Institutiones Hermeneuticae S. Scripturae V. T.* Pesthini 1818, et *Institutiones Herm. S. S. N. T. ib. 1818* ubi Catholica interpretationis principia valide propugnat, et Iahnii errores docte refellit. Ita etiam.

Gaspar Unterkircher in: *Hermeneutica biblica catholica* Oeniponte 1830 methodum Arigleri sequutus eius tamen vitia corrigit, et ad saniora principia revocat, ideoque merito ab omnibus laudatur; eius editio III curata a I. V. Hofmann Oeniponte 1846 leviter et accuratior est. I. Hermanni laussens: *Hermeneutica Sacra* Leodii 1818 et saepe alibi recusa, (optima editio Parisiis 1833, *Gallicae*, curante I. T. Pacaud) titulo suo non respondet: de *interpretatione* enim S. Scripturae pauca tantum festinanter tradit in cap. V: cetera ad Criticam introductionem, et ad Archaeologiam Biblicam pertinent. His addendi sunt:

Georgius Riegler: *Biblische Hermeneutik*. Augsburg 1835 editio II ib. 1847.

Franciscus Xav. Patrius S. I. *De interpretatione Scripturarum Sacrarum libri duo* Romae 1844, et iterum in compendium redacti Ratisbonae 1860. Deinceps vero Liber I qui *didacticus* est seorsim apparuit Romae sub titulo: *Institutio de interpretatione Bibliorum iterum edita* 1876, liber II vero, qui inscribitur *Paradigmaticus* et exhibet doctam interpretationem praecipuorum quorundam locorum V. T. item seorsim recusus fuit sequenti anno sub hoc titulo: *Biblicarum questionum decas*. Romae 1877.

Joseph Kohlgrüber: *Hermeneutica biblica generalis*. Viennae 1850 opus est eruditum, accuratum et undequaque orthodoxum: sed, ut videtur, nimia subtilitate, et excessu analysis lectorem aliquando fatigat.

Iohannes Ranolder (postea Episcopus Weszprimiensis): *Hermeneuticae Biblicae generalis principia rationalia, Christiana, et Catholica selectis exemplis illustrata*. Editio II Budae 1859.

Opus egregium ceteris fortasse anteponendum: praestat enim et apta rerum divisione, et aequa singularum Hermeneuticae partium explicatione: notatu etiam digna est *Appendix* de falsis interpretationis speciebus, quae docte et nervose refutantur, imprimis interpretatio *mythica* (pag. 352-414) a neotericis rationalistis inducta. Displicet tamen in Cl. Auctore nimia quaedam facilitas in haereticorum libris, aliisque minus orthodoxis laudandis, ex. gr. Erasmi (pag. 22) Iahnii (pag. 28) Ernesti edit. V. (p. 31). Vide tamen monitum Auctoris pag. 349 seq.

G. I. Güntner: *Hermeneutica Biblica generalis iuxta principia Catholica*. Pragae 1844 editio III. 1863. Opusculum laude dignum, sed, nostro quidem iudicio, paulo inferius altero cl. Auctoris opere alias laudato: *Introductio in SS. N. T. Libros*. In *Introductione T. L. Lamy* to. I. (edit. H. Mechlinae 1872) etiam Hermeneutica summam pertractatur, quemadmodum fit etiam in *Introductione I. B. Glairé* to. I. per modum *Appendicis*: Uberius autem Hermeneutica principia tradantur, et sobria, erudita, planeque orthodoxa ratione evolvuntur a Iosepho Danko in noto opere: *De Sacra Scriptura, eiusque interpretatione commentarius*. Vindobonae 1867 toto capite III. pag. 252-343.

2 Opera hermeneutica A catholicorum. (1)

Inter antiquiorum Protestantium (Saec. XVI-XVII) opera hermeneutica specialim commemoranda sunt sequentia:

Matthiae Flaccii: *Clavis Scripturae Sacrae*. Basil. 1567 saepius deinceps recusa (optima editio Ienae 1673). Secunda pars, quae didactica est, multa continet subtiliter et accurate notata de usu loquendi S. Scripturae, et de subsidiis ad eruendum sensum literalem idoneis; sensum quoque mysticum admittit, et intra debitos limites circumscribit, imo et *analogiam fidei* aliunde acceptae tanquam criterium interpretationis constituit. Verum in applicatione harum

(1) In libris catholicorum recensendis, quemadmodum et in aliis a S. Sede damnatis, iterum lectores monemus, quod alias monuimus, huiusmodi scripta non nisi cum magna cautela legenda esse, et debita facultate accepta. Habent enim bona mixta malis, et erroris venenum facile incautorum animis insinuant. Quidam Catholici scriptores non satis hoc attendisse videntur.

regularum saepe in transversum agitur a praeiudiciis quibus imbutus erat, et contra Catholicam doctrinam prolixè et importune invehitur. Hoc opus a veteribus Protestantibus uti classicum habitum est.

Salomonis Glassii: *Philologia Sacra*. Ienae 1623, deinde saepius recusa, et demum ad recentiores scientiae biblicae progressus accommodata a I. A. Dathe Lipsiae 1776 et iterum a G. L. Bauer 1797 magnam in auctore eruditionem praesertim philologiae orientali evincit, multa quoque continet ad stylum Scripturarum intelligendum aptissima imprimis in locis methaphoricis (Lib. II. ed. Dathii), verum errores quoque Protestanticos passim obtrudit, nec non frequentissimas disceptationes et invectivas contra Catholicos, quae tamen in editione Dathii generatim omissae sunt.

Augustinus Pfeiffer: *Thesaurus hermeneuticus*. Dresdae 1684 deinde auctus, et Praefatione ornatus a Ben. Carpzovio Lipsiae 1690 et 1698. Saeculo XVIII. sequentia opera notanda sunt.

Valentini E. Loescher: *Breviarium Theologiae exegeticae, legitimam Sacrae Scripturae interpretationem et studii biblici rationem tradens*. Wittenbergae 1619. Literalem et eruditam Scripturae interpretationem suadet contra Pietistas.

Iohannis Iacobi Rambach: *Institutiones hermeneuticae Sacrae*. Ienae 1723. octava editio cur. F. Budaeo ibid. 1764: impugnat interpretationem mere grammatico-historicam Grotii.

Ioh. Alph. Turretin: *De S. Scripturae interpretatione tractatus bipartitus*. Traiecti 1728, iterum auctus a Teller 1776: valde laudatur a Protestantibus: sed, iudice Iahnio (magno Protestantium admiratore), *laudes immeritas tulit* (Enchir. §. 5).

Sigismundi Iac. Baumgarten: *Unterricht von der Auslegung der heiligen Schrift*. Halle 1742, et: *Ausführliches Vortrag über die Hermeneutik*, ibid. 1769. Fuit hic magister Semleri de quo infra.

Iohannis Aug. Ernesti: *Institutio interpretis N. T.* Lipsiae 1761 et saepius recusa usque ad edit. 5. Lipsiae 1809 curante C.F. Ammon. Hoc opus magnam celebritatem adeptum est ob subtilem et accuratam methodum eruendi sensum grammatico-historicum ope praesertim usus loquendi, seu philologiae: quare Ernesti dicitur auctor *scholae philologicae* interpretationis. Hic auctor inspirationem Scripturae, eiusque infallibilitatem, Christi Divinitatem, eiusque miracula admittit, et interpretem de iis persuasum supponit. Con-

tra vero edilio B. ab Ammon curata rationalisticis commentis scetel tum in notis huc illuc inspersis, tum in longa *Praefatione* editoris rationalismo addicti.

Post medium saeculum XVIII ortus est in castris Protestantium *Rationalismus biblicus*, novaque methodus Scripturam exponendi, quae *nova Exegesis* vocari solet. Huius parens haberi solet Iohannes Sal. Semler, cuius opera hermeneutica sunt: *Apparatus ad Hermeneuticam Theologicam*. Halle 1759-68. *Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem*, ibid 1769 et *Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem*, ibid 1773. In his operibus fundamenta rationalismi biblici iaciuntur, qui postea sub variis formis propositus fere omnes Protestantium universitates et scholas infecit. Exinde prodit longa series operum biblicorum, et tractationum hermeneuticarum, in quibus non solum inspiratio Scripturae excluditur, sed ipsa historica eius veracitas negatur, imo ipse obvisus verborum sensus, nedum spiritus et scopus ss. Auctorum, pervertitur, offuscatur et iuxta praekonceptos errores misere torquetur. Auctores, qui hanc methodum pro suo quisque ingenio, et sub diversa scientifica forma sectati sunt, eorumque libros hic recensere nolumus; quaedam de his dicturi sumus in Sect. III Partis II huius Hermeneuticae, ubi rationalismi biblici principia et varia systemata ad examen revocabimus. Interim notamus ipsam Rationalistarum audaciam, et exorbitantem licentiam in Scripturis pertractandis eorum causae nocuisse. Hoc enim periculo excitati plures inter ipsos Protestantes adversus novas hasce theorias conclamarunt, et saniora interpretationis principia propugnare aggressi sunt. Ex his alii pietisticum interpretationis genus rationalistico opposuerunt, ut ex. gr. Stier: *Ausdeutungen für gläubiges Schriftverständnis* Lipsiae 1824-30, alii philologicam et grammatico-historicam interpretationem defenderunt ut Winer, Fritzsche, Mayer, Lücke, alii potissimum fidei analogiam spectandam esse docuerunt, ut German, Klaesen et Lutz, alii denique conati sunt haec omnia inter se componere, non excluso aliquo respectu ad sensum sanctorum Ecclesiae Patrum, ut Tholuck, Olshausen, Delitzsch, Langen, Hengstenberg aliique. Verum hi omnes, licet laudandi sint quod Scripturarum dignitatem, et debitam eis reverentiam tueri ac vindicare tentaverint, longe tamen absunt a vera et perfecta Scri-

pturas interpretandi ratione, quae omnino requirit ut ratio habeatur infallibilis magisterii Ecclesiae, cuius est iudicare de vero sensu ac interpretatione Scripturarum sanctarum, et quae unice veram fidem docet, cuius analogia interpretem dirigere debet in locis dogmaticis, et obscurioribus intelligendis ac exponendis. Hinc libertas seu licentia rationalistica froenari nullo modo potuit per laudabiles illorum conatus, et adhuc in scholis protestantium longe lateque grassatur. Haec de historia hermeneuticae biblicae.

IV. Hermeneuticae divisio, et tractationis partitio.

Admodum varia est ratio dividendi Hermeneuticam apud diversos auctores. Recenioribus tamen plerisque probatur divisio quam S. Augustinus indicat in principio libri I. de Doctrina Christiana, ut nempe agatur primum de ratione *inveniendi* Scripturae sensum, deinde vero de ratione sensum aliis *exponendi*. « Duae sunt res, inquit, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quae intelligenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt. De inveniendo prius, de proferendo postea disseremus ». Haec divisio ex ipsa notione interpretationis, et ex definitione Hermeneuticae superius tradita fluit, ideoque aptissima videtur. Appellarunt nonnulli primam partem quae de sensu *inveniendo* pertractat *Euristicam*, alteram vero quae docet modum *exponendi* sensum vocarunt *Prophoristicam*. Nos speciosa vocum novitate praetermissa, rem ipsam tenebimus, et de utraque parte seorsim agemus. Visum tamen est eis praemittere aliam partem generalem, et veluti isagogicam tractantem de sensibus Scripturae universim sumptis, de quibus sive inveniendis, sive exponendis deinceps agendum est. Erit igitur totius Hermeneuticae Biblicae divisio in tres partes. I. De sensibus Scripturae generatim sumptis. II. De sensu Scripturae inveniundo. III. De sensu Scripturae aliis proponendo.

Ad ultimum, ut clericorum utilitati magis magisque consulamus, Hermeneuticae adiciemus binas *Appendices*, quarum altera exhibebit specimen interpretationis selectorum quorundam locorum S. Scripturae, altero vero dissertationem, superius in introductione critica promissam, de Lectione S. Scripturae in linguis vulgariis, de varia Ecclesiae in hac re disciplina, et de biblicis, ut vocant, Societatibus a Protestantibus institutis.